

II.

DE

CAVSSIS AVCTAE SENSIBILITATIS GENERATIM

CONSENSV GRATIOSAE FACVL TATIS MEDICAE
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA

D. XXVII. OCTOBR. A. S. R. CIO IC CC LXIV.

PRAESIDE

D. IO. PETRO EBERHARDO

MEDICIN. PROFESS. PVBL. ORDINARIO
ACAD. IMPERIAL. NAT. CVRIOS. ET ELECT. MOGVNT. SCIENT. VTIL.
SODALI. SOCIET. TEVT. IENENS. MEMBR. HONOR.

PRO

G R A D V D O C T O R I S

SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS LEGITIME IMPETRANDIS

PVELICE DISPVTABIT

AVCTOR

IOANNES LUDOVICVS HAACKE
CALBA - MAGDEBYRGICVS.

HALAE AD SALAM AERE BEYERIANO.



DE
AVOCATIÆ SERVITIÆ
GENFRAHM

IN ALIA MERA HINC RERUM
D. IO. BEATO HERIBALDO
MUSICO ET PICTORIUS IMPERIALIS GRIEGI ET HISTORIATORIS AUSTRIENSIS
SODALITATIS SOCETATIS ET LIBRARIÆ MUNIMENTI HERALDICO
CRAVATÆ OOTORIÆ
ZIMBOSÆ ET ALIÆ VITÆ CIVICÆ ET LITERARIAE FLORENTIÆ ALEXANDRI

IOANNA DUCO ET HAGI
HAGIÆ AD SALTAM AERE PULVERIS

V I R O
PERILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO, EXPERIENTISSIMO
ATQUE CELEBERRIMO
D O M I N O
D. CHRISTIANO ANDREAE
COTHENIO
POTENTISSIMI PRVSSORVM REGIS T
CONSILIARIO INTIMO
ET ARCHIATRO PRIMARIO
REGIORVM EXERCITVVM MEDICO GENERALI
SVPREMI COLLEGII MEDICI DIRECTORI GRAVISSIMO
COLLEGII MEDICO - CHIRVRGICI BEROLINENSIS
DECANO SPECTATISSIMO
CIRCVLORVM QVORVNDAM MARCHIAE PHYSICO
ACADEMIAE IMPER. NATVR. CVRIOSOR. ADIVNCTO
ACADEMIAE REGIAE SCIENTIARVM BEROLINENSIS

VT ET
COLLEGII SANITATIS QVOD BEROLINI EST
SODALI MERITISSIMO

PATRONO ET MAECENATI SVO
DEVOTISSIMA MENTE ASTERNVM VENERANDO.

HOC QVALECVNQUE
SPECIMEN IN AVGVRALE
CVM
VOTO DEVOTISSIMO
PROSPERITATIS ET FELICITATIS CONSVMMATISSIMAE
SE SVAMQVE FORTVNAM

TANTO MAECENATI
COMMENDATVRVS

IOANNES LUDOVICVS HAACKE.



PROOEMIVM.

Quum tot tantaque phaenomena in corpore humano occurrentia, a sensibilitate dependeant, & plura adhuc ab eadem aucta producantur; caussas auctae sensititatis eruire, & in quantum eam augent demonstrare, haud inutile fore arbitror. Neque existimo tritum atque vulgare me sumfisse argumentum, cum nemo, quantum sciam, peculiari dissertatione hanc materiam generatim explicauerit, licet de spe-

A 3

ciali

P R O O E M I V M.

ciali sensibilitate nonnulli tractauerint. Vid. Ve-
ner. Fac. Med. Senioris Illustris BÜCHNERI dis-
sert. de singulari sensibilitate Hypochondriaco-
rum. Antequam vero ad ipsas caussas auctae
sensibilitatis eruendas me accingam, mihi tra-
ctandum est de *sensatione generatim*, atque de
organis, quibus producitur, deinde ad determi-
natum gradum sensationis, nempe *sensibilitatem*
progredi mihi licebit. Ad tria itaque capita
tractationem meam reducere possum, quorum
primum versabitur circa organa sensationis,
nempe neroos, *secundum* exponet sensatio-
nem & sensibilitatem, atque *tertium* agit de
caussis auctae sensibilitatis. Faxit Numen su-
premium, vt hi Labores votis meis respondeant,
& conamina mea felici gaudeant successu.

CAPVT I.



7

CAPVT I. DE NERVIS.

§. I.

Omnes corporis humani neroos, primam trahere originem vel e cerebro, & quidem eius medulla oblongata, vel e medulla spinali, sectiones docent anatomicae.

§. II.

Quum itaque secundum §. ant. nerui ex cerebro & eius continuatione, nempe medulla spinali oriantur, facile patet, eos quoque secundum structuram cum medulla cerebri conuenire oportere.

§. III.

Hinc nerui dum in cerebro latent, constant pulposa molli substantia, seu vasculis minimis inter se complicatis, uti medulla cerebri & spinalis, cuius sunt continuatio, testante Anatomia. Egregientes vero ex eo, expandunt duram ac piam matrem, vndeque cerebrum cingentem, quae in vaginam conciliat firmam, ac aliquo modo elasticam. Hac vagina usque ad minimos ramulos circumdantur, sed si ad partes peruenere, ubi sensatio perfici debet, eam denuo deponunt, & rursus molles atque pulposi euadunt.

§. IV.

Dissertatio inauguralis medica

§. IV.

Nerui e cerebro egressi, non pergunt in linea recta, sed incuruantur, ac reflectuntur, quod quoque de nervis e medulla spinali ortis valet. *)

§. V.

Officium nervorum consistit in sensu ac motu producendo (per princip. Physiolog.), hoc vero non a sola eorundem structura dependere potest, quia ligato nervo sensus ac motus perit absque mutatione structurae nervorum. Hinc aliquid in neruo esse debet contentum, cuius motus a ligatura intercipitur; id vero nihil aliud esse videtur, quam *subtilissimum fluidum*, a cerebro per filamenta nervea aduectum.

§. VI.

De existentia huius fluidi, variae adsunt Medicorum sententiae, & multum de eo disputatur. Animus mihi non est ea argumenta proferre, quibus nonnulli praesentium huins fluidi negare contendunt, quae alio loco illustris PRAESES adduxit, *) sed mihi potius animus est paucis demonstrare probabilem talis fluidi, quod fluidum nerueum salutatur, existentiam.

§. VII.

Si ipsam structuram cerebri vasculosam obseruamus, ex illa iam concludere licet, sanguinem hic resolvi debere in subtilissi-

*) vid. LOWER. Tractat. de cord.

*) Vid. eius Conspect. Medic. Theor. Part. I. p. 269.

mas partēs, ob varium vasorum situm & infinitam subtilitatem.
Negari nequit, medullam cerebri constare fibrillis intus cauis, quae
vascula corticis sunt continuata. Nam corticis cum medulla incre-
mentum analogum, manifesto indicat viriusque incrementi commu-
nem caussam. Maxime quoque improbabile videtur, fibras medul-
lae esse solidas, quia tunc sanguis per carotides & vertebrales ar-
terias copiosissime appulsus, inutilis redire deberet a solida medulla
repulsus.

§. VIII.

A subtilissima sanguinis parte per §. antec. secerni debet
fluidum, reliquorum corporis nostri humorum subtilitatem longe
superans. Hocce fluidum secretum vel impenditur ad nutritio-
nem capititis, vel reducitur ad alias partes corporis. Ad nutritionem
vero tantum impendi nequit, ob nimiam versus caput adfluentis sán-
guinis copiam & continuam inde secretionem: quae maior vtique est
quam pro sola capititis nutritione requiritur: hinc ad alias partes
corporis deducitur, quod vero nisi per nervos fieri nequit.

§. IX.

Hoc fluidum per nervos aliis partibus communicatum, eo-
rum nutritioni inservire, non probabile est, cum musculi vasis gau-
deant sanguiferis in minima vascula terminatis, in quib[us] succus lym-
phaticus, ad musculi nutritionem requisitus secernitur. Ad motum
& sensum igitur conciliandum impendi debet. Id quoque ex §. V.
apparet, quia nervi officium non ab earum structura dependet.

B

§. X.

§. X.

His cognitis, nomine satis probabilis euadit sententia, in cerebro secerni fluidum per filamenta nerua vectum, aliisque partibus communicatum, quod vi pollet motum ac sensum perficiendi; & maxima celeritate eum usque ad cerebrum propagandi.

§. XI.

Videmus quoque in musculis sensum, & motus voluntarios perire ligato vel abscessio neruo, redire vero ablata ligatura. Iste defectus sensus ac motus, certe oritur ab impedito fluidi neruei in musculos influxu, quo restituto, effectus quoque redeunt. Solet equidem motus musculi etiam perire arteria ligata vel abscessio, verum huius rei ratio facile dari potest. Scimus enim ex Physiologicis, actionem musculi continuari, quamdiu calidus ac flexilis manet, calorem vero dependere ab affluxu sanguinis: quo denegato deest quoque causa caloris, hinc actionem musculi cessare necesse est, sed non tam subito cessat, quam ligato neruo.

§. XII.

Sed ipsa actio neruorum nos iam docet, fluidum adesse debere, cuius ope illa perficiatur, nerui enim non agunt instar chordae musicae. Si neruis ageret instar chordae musicae, illum tendi oporteret, id vero sub statu naturali impossibile est, quia non in linea recta per corpus distributi sunt (vid. §. IV.) hinc instar chordae musicae agere, nempe tremere nequeunt.

§. XIII.

§. XIII.

De natura fluidi nervi parum certi diei potest, attamen
videtur esse subtilissimum, tam ob naturam sanguinis in cerebro,
§. VII. euictam, quam ob infinite exiguum cauitatem tuborum
medullae, in quibus ex vasis. corticis separatur, & per nervos
tubulos ad eorum fines extremos propellitur. Mobilissimum quo-
que esse satis cognoscitur ex phaenomenis sanguinis, qui ad cere-
brum venit, & ex ipsa eius natura. vid. Illustr. de HALLER Phy-
siol. §. 339.

§. XIV.

Nunc quoque in quo nervorum consistat officium ac quo-
modo illud perficiatur, ostendere nos oportet. Duplex vero exi-
gitur nervorum usus, tam ad motum, quam ad sensum excitandum,
motum vero hic non curamus; sed iam de sensatione, in quantum
scopo nostro inferius, nobis est differendum.

C A P V T II.

DE SENSATIONE ET SENSIBILITATE.

§. XV.

Sensationem medico sensu dicimus, *mutationem simplicem*
in anima ex mutatione in nervis & cerebro ortam, siue anima sibi
eius sit conscientia, siue non.

B 2

§. XVI.

§. XVI.

Sensatio non sit in tunica nerui, quae est productio durae ac piae matris, quae parum sentit doc. Physiol. Id quoque satis intelligitur, quia nerui hanc vaginam deponunt in illis locis, vbi sensatio perfici debet per §. III.

§. XVII.

Mutatio in nervis consistit in tremore minimarum partium puluae nerveae, fluido nerueo communicato, ab eoque usque ad sedem animae propagato. Diximus quidem in §. III. neruos esse partes molles; hinc videtur eos tremere non posse; sed Physica docet simplicissimas corporis cuiuscunque partes tremere posse, quamuis iste tremor a vibratione totius corporis sit diuersus. Sic minimae quoque puluae nerveae partes tremere videntur, cum pulpa nervea, licet mollis sit, tamen constet ex elementis solidis ac duris, ut in Physiologia demonstratur.

§. XVIII.

Quodsi itaque minimae partes puluae nerveae tremunt, facile in fluido nerueo subtilissimo ac mobilissimo, motus tremulus excitatus, & maxima velocitate ad cerebrum propagatus, mutationem efficit in anima, quae a mutatione in nervis dependet.

§. XIX.

§. XIX.

Vt mutatio in anima producatur semper tremere debet fluidum nervium. Patet inde ratio, cur non semper sentiamus muscularum voluntariorum contractionem praeter naturalem, quia haec saepissime non ab influxu fluidi nervi, sed a sola irritatione in musculo dependet.

§. XX.

Varie autem sensatio ex ipsa structura organi modificatur, unde peculiares oriuntur sensationes, quas *sensus* vocare solemus. Sic oritur in oculis sensatio ab impulsu radiorum luminis, qui nero optico communicatur; haec *visus* audit. In internis aurium partibus motus aeris tremulus efficit *auditum*; in nervis narium ab irritatione particularum odorem spargentium, excitatur sensus *olfac-
tus*. Irritatio fibrillarum nervurarum in lingua a corporibus salinis *gustum* producit, & denique corpora externa nervos cutis tangencia *tactum* producunt.

§. XXI.

Satis notum est, omnia corporis nostri phaenomena sub statu naturali, fieri secundum determinatum gradum *visus* cuiuscunque corporis rationi proportionatum, idem de sensatione quoque valet.

§. XXII.

Sensibilitas est determinatus gradus *sensationis*. Haec vero dupli modo considerari potest, nempe sub statu naturali, &

sub statu praeternaturali. In statu naturali semper reliquis corporis qualitatibus exaequo responderet, scilicet robori, aetati, temperamento ac sexui. Videmus enim in subiectis diuersi roboris, temperamenti &c. diuersam quoque esse sensibilitatem: sic debiliores sunt sensibiliiores, quam robusti, cholericis praecipue phlegmaticis, quod ex Physiol. notum est.

§. XXIII.

Quum sensibilitas determinatus sit sensationis gradus videtur, antea, haec vero dependeat a motu tremulo fluidi nervi per §. XVII. facile patet, sub statu naturali, certam huius fluidi requiri copiam ac constitutionem, certumque neruorum robur ac debitam constitutionem.

§. XXIV.

Phaenomena sensibilitatis semper sunt proportionata ynius cuiuscunque corporis rationi (§. XXI. & XXII.), si vero hoc non fit, statum indicant praeternaturalem. Sub statu praeternaturali, sensibilitas vel potest minui vel augeri, in utroque vero casu non rationi corporis responderet. Non est, quod dubitemus, quin immunita vel aucta sensibilitas ad statum pertineat praeternaturalem, cum non ignoramus secundum leges sensationis motum ab ea immediate productum ei semper esse proportionatum; hinc mutata sensibilitate, ut motus vel minuantur vel augeantur necesse est,

est, adeoque non respondent rationi corporis uti sub statu naturali.
Non opus esse existimamus, omnes hos auctos & imminutos mo-
tus ex sensibilitate mutata enarrare, cum de caussis auctae sensibi-
litas, hic tantum simus solliciti.

§. XXV.

Progredior itaque ad caussas eruendas, quibus sensibilitas
augetur, simulque possibilitatem eandem augendi exponam, i qui-
bus explicatis non difficulter demonstrari possunt caussae sensatio-
nis imminutae, quas aliis explicandas iam relinquimus.

CAPVT III.

DE CAVSSIS AVCTAE SENSIBILITATIS.

§. XXVI.

Prima caussa cohaesio element. nerui imminuta.
Prima caussa auctae sensibilitatis, est cohaesio aliquo modo
imminuta elementorum fibrae nerueae. Ex antecedentibus appa-
ret sensibilitatem existere in solis neruis & quidem eorum pulposa
substantia, sed simul requiritur ut certo robore certaque gaudent
constitutione. Robur autem naturale consistit docente Phisiologia
in certo gradu cohaesione elementorum fibrae; imminuta igitur
aliquo modo cohaesione elementorum fibrae nerueae, robur neruo-
rum minuitur, quia tunc elementa magis a se in vicem recedunt.
Si nerui non debito gaudent robore, sicut teneriores & debiliores

atque

atque facilius tremunt. Vnde ratio patet quare debiliores semper sunt sensibiliores. Perspicuum inde est, augeri sensibilitatem, a facilitiori nervorum tremore, quia nervi magis tremunt ab eadem causa irritante, quam sub naturali statu, in quo maior elementorum cohaesio tam faciles vibrationes non permittit. Cohesio itaque elementorum fibrae nerveae aliquo modo imminuta, causa esse potest auctae sensibilitatis. Haec vero cohesio elementorum imminuitur 1) vel a *nimia* inter elementa fibrarum terrea, *glutinis* intercedentis *copia*, vnde elementa ob expansionem nimis a se inuicem recessunt. Vel a nimia eius *fluiditate*, vnde puncta contactus minuantur. Imminutis enim punctis contactus, cohesio quoque minuitur debet, quae punctis contactus semper est proportionalis (per leges Cohes.). 2) ab aliquali fibrae praegressa *tensione*, vbi quoque particulae elementares a se inuicem recedentes, cohesionem minuant 3), a *violentia externa*, compressione, contusione, similibus qua fibrae debilitantur. Ab his enim violentiis omnibus fibrae debilitantur & partium cohesio minuitur.

§. XXVII.

Secunda causa, certus quidam debilitatis gradus.

Quod a certo quodam debilitatis gradu sensibilitas augeatur, certum est, atque experientia confirmatur, debiliores esse sensibiliores. Verum hoc non de tali debilitatis gradu valer, quo nervi plane inepti redduntur ad mutationem in iis productum usque ad

sedem

sedem animae propagandam vti in paralyse &c.). Multis exemplis confirmari atque probari posset asserti nostri veritas, sed pauca tantum eligam. Primum sit exemplum vulgatissimum nempe debilitas, quae a violentia externa vulneribus, contusionibus grauioribus, fracturis ossium similibusque remanet, & *calendarium artuum* vocatur, de qua elegantem vide dissertationem ab Illustri HEISTERO Helmstadii habitam. Qui tali artuum calendario aegri gaudent, omnes atmosphaerae mutationes quam maxime sentiunt & facilime a frigore, mutata grauitate aeris, aliisque caussis externis laeduntur, dolores in adfecta parte sub quauis atmosphaerae mutatione sentiunt rheumaticos, & ad sanguinis commotiones maiores valde dispositi sunt. Quae phaenomena nisi ex sensibilitate ob debilitatem auctam explicari nequeunt. Aliud exemplum praebet malum hypochondriacum ac hystericum, in quo vtroque, totius generis neruosi sensibilitas aucta videtur per Pathol. *), quam quoque satis demonstrant huius morbi phaenomena, dum aegri de variis doloribus modo in hac modo in illa parte conqueruntur. Nulla autem alia adest caussa, ex qua haec aucta sensibilitas oriri possit, quam debilitas totius generis neruosi, quia omnia, quae id debilitant, ad hunc morbum praedisponunt, vii videimus ex caussis

C

eius

*) Vid. Illustris PRAESIDIS Consp. Medic. Theor. Part. II. de Mal. Hypoc. & Hyster. p. 409. seq.

eius antecedentibus. **)
 Quis quoque ignorat eos, quibus genus
 neruosum debile est, quam maxime esse pronus ad spasticos ac
 comulsiuos morbos, vt haud raro ob ideam terrificam vel nauleo-
 sam epilepsia vexentur, quia a debilitate generis neruosi sensibili-
 tas est aucta, vnde leuior irritatio hos effectus producit. Nemo
 igitur sane negabit, quod certus quidam debilitatis gradus, cau-
 fam constituere possit auctae sensibilitatis. Oritur autem debilitas
 duplii modo, vel 1) imminuto *robore naturali* seu physico, vel
 2) imminuto *vitali robore*, prout nempe vel cohaesio elemento-
 rum fibrae, vel influxus fluidi neruei in neruos minuitur. Caussas
debilitatis naturalis, ab imminuta cohaesione partium elemento-
 rum fibrae dependentis, iam in §. antec. exposuimus. *Debilitas*
 vero *vitalis* ab imminuto influxu fluidi neruei orta, caussas se-
 quentes agnoscit: I) Oritur nempe primo ab iis omnibus, quae
fluidi neruei copiam minuant, vti sunt a) nimii labores, & mo-
 tus muscularum voluntariorum, sub quibus fluidum nerueum mai-
 ori copia in musculos voluntarios influere debet, vnde fluidum
 hoc successiue dissipatur, adeoque cum robur a copia & praef-
 sentia huius fluidi dependeat, debilitas producitur. b) idem effi-
 ciunt nimiae *meditationes* ac *vigiliae*, quod vulgatissima probat
 experientia. Si enim meditationibus & vigiliis diu indulseris, orie-
 tur totius corporis lassitudo, vt nisi summa cum molestia actiones

volu-

**) Vid. I. c. p. 412.

voluntariorum muscularum exercere queamus. Palpebrae relaxantur, & oculi clauduntur. Concludimus enim inde fluidum nerueum, cuius influxus ad actionem muscularum palpebras mouentium requiritur, maiori copia esse consumtum. b) Huc quoque pertinet *iminutus sanguinis versus caput affluxus*, vnde lymphae secretio imminuitur, a qua fluidum nerueum secerni debet. II) ea omnia, quae *consumunt materiam*, a qua fluidum hoc separari debet, e. g. Venus nimia, sudores nimii, haemorrhagiae excedentes & similia. III.) Quae fluidi neruei naturalem constitutionem alterant, nempe chylificatio vel sanguificatio laesa.

§. XXVIII.

Tertia causa, aucta fluidi neruei elasticitas.

Elasticum vocamus corpus, quod, si mutatur, se restituit in pristinam figuram per vim internam. Si vna particula corporis elastici mutat figuram, haec mutatio continuari debet per totum corpus (per Physic.) *) quam continuationem dicimus tremorem; patet inde, corpora elastica posse tremere. Si motus tremulus dependet ab elasticitate corporis trementis; ille augeatur necesse est, aucta elasticitate. Sic obseruamus sonum, qui consistit in motu aëris tremulo, augeri aucta aëris elasticitate sub compressione

*) Vid. Illustr. PRAESIDIS erste Gründe der Naturlehre p. 34.

aëris, per quam non solum massa aëris augerur, sed & eiusdem elasticitas, ut id satis notum est ex Physicis. Fluidum nerueum est elasticum, docente Physiologia: motus inde tremulus in eo excitari potest; maior autem iste tremor oriri deberet, si fluidum nerueum magis reddatur elasticum (per antec.) hinc eius aucta elasticitas causa esse potest auctae sensibilitatis (per definit. sensibil.) Neminem credo esse dubitatum, quin corporum elasticitas possit augeri, cum exempla adhuc aërem magis elasticum fieri compressione, ferri elasticitatem maiorem reddi, si particulae eius elementares magis ad se appropinquantur. Non itaque improbabile videtur, idem accidere posse fluido nerueo.

§. XXIX.

Quarta causa, aucta fluidi neruei copia.

Cum ad sensationem tremor fluidi neruei requiratur (§. XVII.): nemo negabit augeri sensationem quo maior redditur tremor. Adeoque oriri ab aucto tremore sensibilitatem auctam (§. XXIV); augetur autem iste tremor quo plures adhuc particulae trementes. Si itaque copia fluidi neruei augeat, adeat quoque maior copia partium elementarium, augeri igitur debet tremor, indeque sensibilitas. Quod maior copia particularum elementariorum

rium maiorem producere valeat tremorem, satis probat exemplum in §. antec. allegatum de sono a compressione aëris aucto. Fluidi neruei copia aucta, vel a *secretione* eius *maiori* dependet, vel a *minori* eius *dissipatione*. I. Augetur secretio fluidi neruei a) ab aucto quodammodo sanguinis versus caput affluxu. Augetur enim inde secretio lymphae, adeoque fluidi quoque neruei secretio. b) a motu sanguinis progressiu paullo naturali rardiore, vnde ob lentiorum sanguinis progressum, particulae lymphaticae eo facilius in vas a lateralia ingredi queunt, & sic eius secretio augetur. Notum enim est ex Physiologia, motum sanguinis certo gradu imminutum, & augere posse & minuere secretiones, prout gradus ipse differt. c) a nimia particularum lymphaticarum in sanguine copia, quae eius secretionem maiorem reddere debet. II.) Verum quoque copia fluidi neruei maior redditur, si minus dissipatur, quod vel immediate vel mediate fieri potest a) immediate, si non nimis corpus exerceamus motu voluntario. Fit enim inde ut minor eiusdem copia per neruos in musculos influat, plus in encephalo remaneat. b) mediate si materiam non nimis subtrahimus, a qua secerni debet, hoc est, si lympha non destruatur vel excernatur. Vt hoc fieri potest per Venae Sectionem, salivationem, venerem nimiam, imo per omnes fere excretiones auctas.

§. XXX.

Quinta causa, tensio nervorum praeternaturalis.

Sensationes sub statu naturali non fiunt actione nervorum instar chordae musicae (§. XIL), sed tremore minimarum puluae nerueae partium (§. XVII.). Nervos tremere instar chordae musicae non posse, ex eorum molitie perspicuum est, quia partes molles tendi nequeunt. Vagina quidem nervorum durior est, sed tamen sub statu naturali instar chordae musicae tremere non potest, cum non sit tensa (§. XII.). Si vero nervus praeternaturaliter tenditur, vagina eius tensa instar chordae musicae poterit tremere. Tremor autem fluidi nerui maior sit necesse est, si nerui in minimis partibus tremunt, & simul vagina instar chordae musicae tremit, quam si in minimis nervorum partibus tantum tremor adfuerisset. Autem hoc modo motu fluidi nerui tremulo, augetur sensibilitas (§. ant.). Tensionem nerui praeternaturalem causam esse auctae sensibilitatis ex exemplo ab Illustri Praefide *) allegato constat, de Musico Italo qui lucem diu ferre non potuit, cum e contrario in tenebris omnia videret. Huius nervus opticus praeternaturaliter a maximo oculi tumore fuit tensus, unde maximam adeptus

*) Vid. eius Dissert. de sensationum Theoria Physica.

adeptus erat sensibilitatem. Observamus quoque, corpore sub tormentis nimium expanso, ita sensibilitatem augeri, ut leuissima verbena vehementissimos excitent dolores, cuius ratio later in tensione nervorum praeternaturaliter tendi. 1) a *tumore* partis cuiuscunque, ut notum est ex ophthalmia, in qua a qualicunque lucis admissione, atrocissimi oriuntur dolores ob nimiam sensibilitatem. Haec cum dependeat a tumore inflammatorio, iste caussam continere debet maioris fluidi nervi tremoris, quem vero nulla alia ex ratione efficere viderur, quam nervum opticum praeternaturaliter tendendo. 2) a luxatione ossium, qua nervi magis eleuantur, hinc tenduntur e. g. a luxatione ossis humeri. 3) a violentia externa uti mentionem fecimus de tormentis, quae quam maxime totius corporis augent sensibilitatem.

§. XXXI.

Sexta causa, alteratio organi sensorii.

Organa sensoria inferiunt modificationi sensationis, & peculiares sensationes nempe sensus efficiunt, secundum §. XX. Quum vero sub statu naturali, haec modificatio dependeat a certa quadam organi structura, facile est intellectu, quod ea alterata alterari queat debeat sensus, qui vel augetur vel minuitur. Non curamus

9101

iam



iam caussas organon sensoriorum ita alterantes, vt eorum sensibilitas
imminuantur; sed eae iam erunt explicandae caussae, quae organi
sensorii sensibilitatem augent. Augetur vero sensibilitas
in *auribus*, I. si tympanum magis tendatur; tunc enim acutius
& facilior existit auditus. Ex theoria de auditu notum est,
motus aeris sonoros, per concham auris externae, ad meatum
auditorium penetrare, & ad tympanum usque propagari, in
quo tremorem excitant, qui chordae tympani communicatus
in ea sensationem aliquam efficit. Vnde musculi malleum ten-
dentes mouentur, malleum mouent, indeque tympanum ita
tendunt ut harmonicus in eo oriatur tremor, cum tremore
aeris externi. Hinc si tympanum magis tendatur, magis tre-
mere potest (per Physic.) & maiorem efficere sensationem in
chorda tympani. Tympanum magis expandi potest. a) Si sic-
cias reddatur, dissipatis vaporibus eidem adhaerentibus, quo
ficcior enim est membrana eo magis est ad vibrationes elasti-
cas apta. Sub naturali enim statu semper, ab exhalante intus
vapore aliquo modo humida redditur haec membrana. b) a
congestione vasa tympani expandente, vnde tympanum quo-
que magis tenditur. II) Adhuc augetur sensibilitas ab altera-
tione organi sensorii, si nervi magis sunt denudati. Constat
enim ex Physiologicis, nervos in tunica Schneideriana narium

ferre

fere nudos latere, & tantum a tenui membrana & muco ibi secreto ab externis iniuriis defendi, si vero hic mucus fluidior redditur e. g. in Phlegmatorrhagia, facilius nerui irritantur a contactu particularum odorem excitantium, adeoque aucta oriatur sensibilitas.

Schol. Vulgatissimum docet exemplum, neruos eo facilius irritari, quo magis sint denudati, e. g. Si scalpello vel alio instrumento epidermidem separamus, a levissima causa irritante dolorem sentimus.

§. XXXII.

Septima cauſa, consuetudo.

Quum consuetudo multorum phaenomenorum sit foecunda mater; respectu eorum ad scopum meum pertinentium, omni iure caussis auctae sensibilitatis annumerari meretur. Quod autem re vera talia a consuetudine producantur phaenomena, quae auctam sensibilitatem indicant, exempla testantur. Observatum est, quod ei, qui diu in obscuro fuit, lux solis dolorem efficiat in oculo, ex quo satis apparet, aucta sensibilitas, sub statu enim naturali idem gradus luminis dolorem non efficit. Quis negauerit, consuerudinem esse caussam huius phaenomeni, cum dolor in oculo oriatur, a radiis luminis maiorem tremorem in neruo optico excitantibus, quam in obscuro fuerit assuetus. Praeceptis quoque Pathologiae docemur, quam exactam nos

D

opor-

26 *Dissertatio inauguralis medica de Caussis auctae &c.*

oporteat habere consuetudinis rationem ad indolem & naturam morbi accurate determinandam, cum a variis rebus longe vehementiores orientur motus, in minus assuetis, ob auctam inde sensibilitatem, quam iisdem assuetis. Huc quoque referenda sunt regulae diaetaeticae, quod ingesta minus proficia assuetis non noceant, cum contra in minus assuetis noxios praestent effectus. Quis nescit effectum pulueris sternutatorii in minus assuetis, itemque fumi tabaci, aliorumque plurium, quae nervos nimis irritando sensibilitatem augent, quod certe non fieret, si illis fuissent assueti; sic apparet, consuetudinem etiam auctae sensibilitatis esse caussam.

T A N T V M.



PRAE-

PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO
DOMINO CANDIDATO

S. P. D.

P R A E S E S.

Reddo TIBI PRAESTANTISSIME DOMINE CANDIDATE! Dissertationem TVAM Inauguralem, quam vti solus ipsu elaborasti, ita spero, imo confido, te cras quoque eandem strenue propugnaturum. Tota haec Dissertatione plane TVA est, neque mutare quidquam volui, neque in ordine tractationis, neque in explicatione cauissarum. Gratulor TIBI ex animo praeclarorum hoc egregiae eruditionis TVAE specimen, et simul publicum hisce litteris exhibeo testimonium diligentiae TVAE, vitae ac morum integritatis, et acquistae doctrinae. Diligentissimum te viderunt in schois suis, Viri Illustres et Excellentissimi qui hanc Academiam ornant. Diligentissimum ego quoque te vidi in Praelectionibus meis Physicis, Physiologicis et Pathologicis. Factum inde est ut semper de te indicauerimus, talem te futurum, quallem te nunc nobis exhibes, doctissimum nempe et egregius animi dotibus ornatissimum virum. Gratulor vero TIBI etiam praemia diligentiae TVAE, cras TIBI a Gratio Medicorum ordine conferenda, quae si quis alius mereris, cum iam praeuideam, te olim ornamento fore ei scientiae, a qua iam ornat. Vale, PRAESTANTISSIME DOMINE CANDIDATE! et me quod facis ama. Dabam in Reg. Frider. d. XXVI. Octobr. MDCCCLXIV.




01 A 6528

ULB Halle
002 928 698



3



DE

CAVSSIS AVCTAE SENSIBILITATIS GENERATIM

CONSENSV GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA

D. XXVII. OCTOBR. A. S. R. CLO I^o CC LXIV.

PRAESIDE

D. IO. PETRO EBERHARDO
MEDICIN. PROFESS. PVBL. ORDINARIO
ACAD. IMPERIAL. NAT. CVRIOS. ET ELECT. MOGVNT. SCIENT. VTL.
SODALL. SOCIET. TEVT. IENENS. MEMBR. HONOR.

PRO
GRADV DOCTORIS
SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS LEGITIME IMPETRANDIS

PVBLINE DISPVTABIT

AVCTOR
IOANNES LUDOVICVS HAACKE
CALBA - MAGDEBURGICVS.

HALAE AD SALAM AERE BEYERIANO.